



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1648**

§. 4. Admiranda Hiberniae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13147**

In *Itlandia* Orcadum ex arboribus quæ salicibus similes sunt, pendent paruæ pilæ, quæ lapsæ in mare vertuntur in anates. *Fulgosus.*

Ad Insulam Fare, vulgo *Ferroier*, volucres passere non multo maiores tantâ celeritate in mari decurrunt, ut pedes non videantur tingere. Id cùm vident nautæ proximam suspicantur tempestatem. Et hæ aues tantùm hic videntur; si alibi, creditur iminere politica mutatio. *Hoyerus in Epistola.*

#### §. 4. Hibernia.

IN *Hiberniâ*, aues vulgo dictæ des *Martinetz*, ventre albo, tergo nigro, mortuæ non putrescunt, sed quod mirum magis singulis annis earum cadauera plumas renouant: loco sicco seruatæ à tineâ vestes incolumes seruant. *Multorum experientia.*

Serpentes non gignit hæc Insula, venenatum nullum animal, & si importetur expirat: imò rasura codicum ex pellibus illius Insulæ valet ad serpentum morsus. Cuius rei causam aliqui in aërem refundunt, alij precibus S. Patricij adscribunt. *Beda in historia suâ.*

In *Hiberniæ* fluvio quodam folia ex arboribus quibusdam decidentia primum formantur in pisces, & paulò post natant. *Virðetus apud Euf. Nierembergum.*

Hic quoque lacus cuius aqua dulcis, & amara quotidie fit; sic ut dimidio die dulcescat, dimidio pro veneno sit. *Molina in descript. Galacie.*

Fons est in *Momonia*, cuius aquis si quis abluitur statim canus efficitur. Aitque auctor se vidisse hominem cuius pars barbae locata cana erat, altera priorem retinebat colorem. *Cyraldus Cambrensis.*

Ibi quoque fons qui si tactus ab homine fuerit tota illicè provincia pluviis infestabitur, nec cessabit calamitas nisi Sacerdos à nativitate virgo in proximo sacello sacrum fecerit, & inspersione aquæ benedictæ, & lacte vaccæ viuis coloris fontem illum reconciliauerit. *Idem lib. 2. cap. 7. Topog. Hibernice.*

In Boreali parte *Momonie* lacus est, ubi duo loca sacra: in *Maiori* Ecclesia, in *Minori* Capella; in *Maiorem* nunquam intravit aliquid foeminei sexus quin illicè moreretur, quod probatum s̄epe

in canibus & fellibus: itaque aues foeminae eam refugiunt, cum eius arboribus mares infideant. In *Minore* nemo morte naturali mori potest, unde dicitur *Insula viuentium*. Cum ergo quis morbo corripitur, quem lethalem videt, vitamque habet exosam, curat se in *Maiorem* Insulam deferri, statim autem atque eius littus attigit, expirat. *Sylvester, Gyraldus, & Gretserus.*

In *Connaciâ* fons aquæ dulcis, in vertice montis excelsi die naturali bis deficit, bis exuberat, iuxta maris instabilitatem, & æstum. *Idem.*

In eadem *Connaciâ* fons solis hominibus utilis, reliquis animalibus pestilens. *Idem.*

In *Vlunia* est lacus continens Insulam bipertitam, cuius altera pars habet Ecclesiam satis lautam, pars altera hispida & solis dæmonibus assignata: quippe illa 9. habet fossas in quarum una si quis pernoctet, à lemuribus mirè vexatur. Locus hic *Purgatorium S. Patricij* dicitur. *Idem.*

In vltiore *Vlunia* fons visitur, quo si quis abluitur nunquam canescit. *Idem.*

Supra *Armacanum* urbem, in stagno haud ampio, hasta lignea defixa si aliquot mensibus hæreat, pars luto infixa ferrea erit, pars quæ tingitur aquis versa erit in cotem, reliqua manebit lignum, *Fabula mera. Maginus & Gyraldus.*

In Boreali & vltiore Vltoniae parte fons ob nimium frigus ligna per septennium immersa obdurat in lapidem. *Sylvester.*

In Boreali Vltoniae parte Insula quæ dicitur *Sancta*, ubi mulieres non pariunt: delatae in vicinam Insulam facile fœtum emitunt. In hac si grauidæ retineantur, experimenti gratia, periclitantur. *Idem.*

Inter Insulas *Arran* (alij *Arhem* vocant) vna est in qua corpora non computrescunt, sed exposita sub dio ad multa secula perdurant: hincque Auos, Abaos, &c. circumpositi Pagi recognoscunt. In eadem Insulâ mures viuere non possunt, si importentur ruunt ex naui, si retineantur occidunt. *Gyraldus lib. I. cap. 4.*